



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Punctum 4. Supplicia peccati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

nam; Libera me ex hac captivitate, atque in numerum filiorum amoris tui restitue. Pro-
 testor hanc meam servitutem jam esse contra
 meam voluntatem, stultitiam meam detestor
 summeque deploro. Tuum imploro auxi-
 lium, Regis mei legitimi, contra tyrannidem
 istius dolosi usurpatoris. *Mirifica misericor-* *Pf. 17. vs*
dias tuas, qui salvos facis sperantes in te. *7.*
 In
 statum gratiæ tuæ postliminiò me restitue, ut
 misericordias tuas in æternum cantem, tibi-
 que pro secunda redemptione obliger & ob-
 stringar.

Punctum 4. Supplicia peccati.

Horrendum est, Domine, in manus tuas *Horrendū*
 incidere; at horror ille non concernit *est incide-*
 nisi peccatores, quia justis nil gratius est ac ju- *re in ma-*
 cundius, quam in tuo apparere conspectu. *nus Dei*
 Verùm quæ causa est peccatori, cur ei adeo *viventis.*
 sit horrendum in manus tuas incidere, nisi pec- *Heb. 10,*
 catum? Neque enim naturam illius, sed vi- *32.*
 tium odio habes. Verùm (eheu!) mi Deus,
 quo illum rigore punis? O! si pœnarum ma-
 gnitudo, vindictæque conditio mensura sunt
 odii, quo quis inimicum suum prosequitur,
 quam immodicum est odium, quo ferris in
 peccatum, quia pœnis ipsum tam horribilibus
 punis, & quidem in omnem æternitatem?
Quis novit potestatem ira tua, & præ timore *Pf. 89. vs,*
quo iram tuam dinumerare? *11.*
 Quod si vires
 tuas omnes in peccati punitione exeris, vires
 autem tuæ sunt infinitæ, nunquid infinita
 quoque erit ista punitio? Utique (eheu!)
 & quidem justissimè, peccatum pœnis castigas

De
 oratione

æternis, cum odio ipsum prosequaris infinito, quia contemptus cum sit supremæ Majestatis tuæ, ipsum committere injustitia est infinite criminosa.

Deus meus & Dominus meus, non amplius miror, peccatum in Inferno pœnis castigari infinitis, quin potius memetipsum ac meam admiror cœcitatem, quod in ipsum toties ferri me siverim. O quam terribilem contraxi obligationem flammarum istarum ardorem æternum sentiendi, quæ semper ardent & nunquam deficiunt, quæque continuò necant, quin unquam interficiant? illud est, Domine, quod me terret.

Ego te metuo, tuque mihi patefacis iniquitatem à te odio haberi, ubi flagella tua immittis urbibus, provinciis, atque integris regnis in punitionem peccatorum ipsorum, atque etiam ubi quandoque in peccatores animadvertis subitanæ morte, ubi adhuc eorû crimina flagrant; at istæ pœnæ, temporaneæ cum sint, non adeo mihi manifestè produnt incomprehensam aversionem, quâ peccatum tu abhorres, neque immoderatam illius malitiam, ut illam produnt terribilia abyssi illius infernalis supplicia.

Quid? peccatores, Domine, castigas absque termino? Illorum nunquam misereberis? Nunquam justitia tua dicit *satis est*? Prò! quam immoderatum tormentum? quam immoderata justitia atq; iracundia, quæ ipsum in-
 Aigit? quam igitur immoderata etiam malitia
 pec.

peccati, quod omnia ista causat? Neque enim ultra demerita punis, Domine, cum iudicia tua semper æquissima sint? miseriq; atq; infelices reprobi & in inferno damnati, et si aduersus iustitiam tuam vindicem furoris æostr perciti, fateri nihilominus debebunt, iustissimè se ad pœnas istas condemnatos.

Verùm pro quonam peccatorum genere ignes istos præparasti, quæ *montium fundamenta comburunt*? Eheu! si solummodò illos præparasses pro spiritibus illis obduratis in peccato, quorum tota vita non est, nisi quædam peccatorum catena, ubi alia aliis coaceruantur, quique de peccatis gloriantur, *Letantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, uno verbo, si pro illis dumtaxat eos præparasses, qui magnam committunt peccatorum multitudinem, non mirarer equidem: at ubi considero, unum solum, imo unum solum peccatum mortale sufficere, ut anima illuc præcipiteretur, idque pro tota æternitate; prò! intereo, simulq; propositum concipio illud ipsâ amplius morte vitandi. Casum intueor Angelorum, illarum tam nobilium tamq; excellentium creaturarum, illosq; deprehendo ob unicum dumtaxat peccatum, neque illud quidem operis, sed solummodo cogitationis, ad supplicia deputatos æterna. Inobedientiam attendo primi nostri parentis, videoq; ob unicum illud crimen posteritatem illius millenis involvi calamitatibus, indubieque & ipse ad eadem cum Diabolo fuisset deputatus tormenta, nisi unigenitus filius tuus in se suscepisset onus huius illius noxæ debiti tibi exolvendi, nosque

De
oratione

Majestati tuæ reconciliandi. Illum ipsum etiam contemplor, Deum, inquam, incarnatum habitu peccatorum coopertum, nihilque nisi peccati similitudinem gestantem ac peccato dumtaxat onustum alieno. Nihilominus ubi in illo ipsum statu vidisti, mi Deus, illi minimè pepercisti, quin potius, licet esset proprius filius tuus, ejusdem tecum sanctitatis ac Deitatis, illum calamitosissimum omnium hominum & afflictissimum constituisti, O si proprio filio tuo non pepercisti, nunquid parces mancipio? Creaturæ peccatum non punires, qui ipsum taato cum rigore in persona ipsiusmet filii tui punivisti? Hominem absque pœnitentia pro peccatis propriis dimitteres tu, qui dimittere nolivisti filium tuum, quin in cruce moreretur?

O me ignarum ac stupidum! Quomodo fieri potuit ut unquam te offenderem? Eheu! nesciebam quid facerem, Non considerabam, mihi metipsum me causam esse damnationis æternæ, meque cum morte atque inferno pacisci. Jam verò, mi Deus, terracto ac rescindo, quidquid hoc in genere feci, ipsum, inquam, improbo, atque infectum volo, non tam ob istas, quas incurri pœnas, quam quia te offendi, atque ad me contra inclinationem tuam odio habendum coëgi. At tandem capta est resolutio, nunquam amplius peccabo, Domine, nunquam amplius cogitationibus, motibus aut suggestionibus, quæ in malum inducere me queant, obediam, promitto tibi fore, ut sollicitè declinem omnes occasiones, quæ ad peccandum me possent vel tantillum pellicere,

vigili.

*Proprio
filio suo
non pe-
percit.
Rom. 8. v.
32.*

*Percussimus
foedus
cum mor-
te, & cum
inferno
fecimus
pactum.
Isa. 38. v.
15.*

vigili custodiâ cor & sensus meos observabo, Millies millenæ tibi sint gratiarum actiones ob patientiam ac bonitatem tuam, qua me tam diu ad pœnitentiam expectasti. Laus, honor & gratiarum actio tuæ clementiæ, qua etiam exaudire miseros non dedignaris: sis in æternum benedictus in cœlo & in terra propter misericordias, quas fecisti mihi miseræ creaturæ, omnigenis opprobriis ac pœnis longè dignissimæ. Omnes creaturæ tuæ te collaudent, quia tibi complacuit veniam indulgere miseris peccatoribus.

Quilibet amplius se dilatare poterit secundum suam devotionem atque impulsus Spiritus sancti, quem persequitur. Deinde concipiet bona proposita, oblationes & petitiones juxta præcepta & formulas supra præscriptas.

CAPUT XIX.

De diversis dispositionibus, quæ magis ordinariè in exercitio orationis occurrunt.

Postquam tradidimus præcepta, & exposuimus praxin trium partium orationis, necesse erit observare diversos status, in quibus orationis studiosi versari possunt, atque explicare, quomodo in singulis se habere debeant.

Status illos multum esse differentes, certum est: quandoque enim experitur quis magnam in orando facilitatem, atque animi promptitudinem; aliàs adeò hebetem se ac stupidum advertit, ut ne quidem materiam adoriri, aut

De
oratione